



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

10 An tria relatiuorum genera ex triplici fundamento rectè fuerint ab
Aristotele diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

comparatur, ac si essent duo extrema, vel certe si secludatur hæc comparatio in se solum est res ipsa, & negatio distinctionis, quam solum potest addere hæc entitas ipsa rei, vt supra Disput. 8. visum est. Atq; idem censeo de propria similitudine inter duo subiecta alba, si eandem numero haberent albedinem quia conuenientia illa, quam in albedine haberent potius esset identitas in eadem numerica forma. Quod vt magis intelligatur, distinguere ibi possumus conuenientiam in forma albedinis, vel in vnione ad eandem formam: prior conuenientia est identitas quadam, & ideo non est relatio realis: posterior vero potest esse similitudo & relatio, quia licet forma sit eadem, vnio ad diuersa subiecta necessario est diuersa, & ideo quadam ad illam est sufficiens distinctio, & similitudo vel relatio realis fundari possit. Vt si duæ humanitates essent vnitæ Verbo diuino non videtur dubium, quin essent vere similes in vnione hypostatice, quæ non esset in eis eadem numero, sed distincta, ideoq; possent sub ea ratione referri relatione reali. Non potest vero hinc argumentum sumi ad relationes diuinas prout terminantes (vt nostro modo loquamur) eandem essentiam Dei, quia non terminant per vnionem, sed per simplicissimam identitatem.

Duo alba eandem albedinem, an relatione reali in similitudinis.

SECTIO X.

*An tria relationum genera triplici fundamento re-
ferantur ab Aristotele distincta.*

I.



In hac sectione examinanda est doctrina Aristotelis libro 5. Metaph. c. 15. vbi agens de Ad aliquid, ad tria genera relationum omnia refert: quæ distinguit ex triplici fundamento seu ratione fundandi relationem.

II.

Quas relationes in primo genere collat Aristoteles.

Partitio & doctrina Aristotelis proponitur.
In primo genere constituitur eas relationes, quas dicit fundari in vnitate vel multitudine, quod postea subdividit in varias species, nam in vnitate ait fundari æqualitatem, similitudinem & in vniuersum identitatem eorum, quorum vna est substantia. Nam si milia dicantur, quæ habent vnā qualitatem, æqualia, quæ habent vnā quantitatem, eadem vero, quæ habent vnā substantiam, quod potest intelligi vel proprie & in rigore de substantia, vel generatim de essentia, quod infra videbimus. In numero vero ait fundari omnes relationes, quæ aliquo modo secundum quantitatem dicuntur, & ab vnitate recedunt, vt sunt omnes proportionales inter numeros in æquales, siue illæ definite seu generatim significantur, vt excedens, multiplex, &c. siue definite vt duplum, triplum, &c. Vnde licet hæc relationes inueniri etiam possint inter quantitates continuas, tamen dicuntur fundari in numero, quatenus requirunt diuersitatem in quantitate. Atq; eadē ratione ad idem fundamentum pertinent relationes omnes dissimilitudinis, distinctionis, & similes, quia in numero aliquo modo fundantur: hic enim non sumuntur in rigore vnitas & numerus pro quantitatis, sed generalius. Illud enim est considerandum, Aristotelem semper loqui de his rebus in plurali, quia propriissime loquendo, ambæ relationes oppositæ huius generis, sunt quæ requirunt in fundamento, aut numerum aut aliquam vnitatem plurium (ita enim est hæc vnitas intelligenda.) Vnde si de singulis relationibus loquamur, vnaquæque requirit fundamentum, non quod simpliciter sit numerus, sed quod cum alio componatur numerus, vel habeat vnitatem.

III.

Quas relationes fundantur in potentia agendi & patiendi, vel in actionibus earum: quod subinde distinguit in varias species, quas partim sumit, vel ex eo, quod relationes

fundantur in sola potentia abstrahendo ab actione, vel vt subest actioni. Et adhibet exempla, vt calefactum & calefactibile: calefactiens & calefactum. In quibus oportet duo aduertere, vnum est, cum Aristoteles ponit relationem realem inter potentiam & possibile, nunquam loqui de effectu possibili obiectiue sumpto, vt videtur intellexisse Gregorius in superioribus citatus, qui ex hoc exemplo Aristotelis colligebat, dari relationes reales ad terminos non existētes, sed possibiles: Aristoteles autem aperte loquitur de potentia passiva seu subiecto calefactibili, vt declarat his verbis. Et vno nomine, actum ad passivum, & actum autē & passivum, ex potentia actiua & passiva potentialiumque actionibus dicuntur, vt calefactum ad calefactibile. Hinc secundo considerandum est, alium esse terminum realem relationis potentie actiue, vt sic abstrahendo ab actione, à termino potentie actiue, vt subest actioni, seu vt facit, nam prior terminus est potentia passiva, & alioqui non potest esse terminus realis: posterior vero est ipse effectus, vt iam fluens à potentia agentis. Rursus vero addit Aristoteles, hanc relationem, quæ fundatur in potentia sub actione, variari iuxta varias temporis differentias: alia enim fundatur in præsentis actione, vt relatio ad facientem, calefactientis, &c. Alia in actione præterita vt relatio patris & alia in actione futura, vt quod futurum est (inquit) ad id quod faciendum, quod habet difficultatem infra tractandam.

In tertio genere ponit Aristoteles relationes, quas vocat mensurabiles ad mensuram, vt sunt (inquit) relationes scientiæ ad seibile, intellectus ad intelligibile, aspectus ad spectabile. Assignat autem notandum discrimine (quod grauius quæstionibus occasione præbet) inter hoc genus & duo priora, quia in prioribus (inquit) vtrumque relatiuum dicitur ad aliquid, quia id ipsum, ad quod vnum quodque est, aliud dicitur, & non quia aliud ad ipsum: at vero in tertio genere, licet vnum relatiuum dicatur ad aliquid, quia vere est aliud, alterum vero, quod illi correspondet, non dicitur ad aliud, quia vere sit ad aliud, sed quia aliud, est ad ipsum. Vt scientia & seibile, quamuis ad aliud dicatur, tamen diuerso modo, nam scientia sic dicitur quia vere est aliud, seibile vero minime, sed solum quia scientia est ad ipsum: idemq; est de intellectu intelligibili & similibus. Quam differentiam nulla ratione probat Aristoteles, sed vt manifestam tradit.

Sine diuisione conuenienter data.

Hæc est Aristotelis diuisio & doctrina. Circa quam duo præcipue declaranda occurrunt: in quibus variæ difficultates attinguntur. Primum, an singula membra illius diuisionis, conuenienter assignata sint. Secundum, an illa diuisio sit adæquata relationi prædicamentali, ita sit sufficienter totam eius diffinitum comprehendat. Ratio dubitandi circa priorem partem est primo. Quia relationes primi generis non videntur reales: ergo. Probat antecedens primo quoad relationes vnitatis, quia vnitas illa in qua fundantur, non est realis, sed rationis tantum: ergo nec relatio in ea fundata potest esse realis. Antecedens patet, quia illa non est vnitas numeralis, nam hæc fundatur identitatem eiusdem ad seipsum, quæ est relatio rationis, vt supra diximus: ergo est vnitas specifica, vel alia superior omnis autem alia vnitas præter numeralem est vnitas rationis. Nec refert si quis dicat vnitatem formalem esse realem, nam hæc etiam non est realis, nisi in quantum in re est eadem cum numerica, licet ratione distinguantur: vnde ita multiplicatur in rebus, sicut ipsa vnitas numerica, vt in superioribus visum est: ergo non magis potest esse fundamentum relationis realis, quam vnitas numerica. Et confirmatur, ac declaratur, nam vnitas, quæ sit fundamentum relationis, debet esse vnitas plurium, nam vnitas vniuersalis, vt sic non fundat relationem.

lationem ad aliud: debet ergo esse vnitas plurium, sed omnis vnitas plurium re distinctorum est vnitas rationis, ergo. Dices, hoc esse verum de vnitate quasi positua & vniuersali, tamen vnitatem negatiuam quia vna res non se habet aliter quam alia in aliqua forma vel proprietate, in rebus ipsis esse: ita enim respondent aliqui Thomistæ, Capreolus in primo, distinctione trigesima, quæstione prima. Soncin quinto Metaphys. quæstione 34. & Caietan quæstione se prima de ente & essentia. Sed contra, quia non magis potest negatio aut priuatio fundare relationem realem, quam ens rationis, quia etiam priuatio secundum se sumpta ens rationis est, nihilque reale in rebus ponit: ergo non potest fundare relationem realem. Atque hæc ratio videtur etiam probare, relationem fundatam in numero non posse esse realem, quia proxima ratio fundandi eius est aliqua negatio, nam numerus vel multitudo distinctione constituitur: distinctio autem seu diuisio in negatione formaliter consistit, vt in superioribus visum est. Et declaratur exemplis, nam inæqualitas, verbi gratia, in hoc proxime fundatur, quod hæc quantitas aliquid non habet, quod habet alia, hæc autem negatio est: similiter dissimilitudo proxime fundatur in hoc quod hæc quantitas non habet essentiam quam alia, & e converso.

VI. Secundo principaliter argumentor, nam si vnitas specifica est sufficiens fundamentum relationis, sequitur multa absurda. Primum est inter res singulorum prædicamentorum, quatenus sunt eiusdem speciei confluere relationem identitatis seu similitudinis: quod ipsemet Aristoteles concessisse videtur, cum dixit, eadem esse, quorum vna est substantia, id est essentia & illa omnia collocat in hoc genere. Nec refert si quis nomine substantiæ, non essentiam, sed propriam substantiam intelligat, quod est probabile quia saltem à paritate rationis sumitur sufficiens argumentum, quia tam similes sunt duæ actiones, vel duo ibi, sicut duæ albedines. Falsitas autem consequens probatur, quia inde fieret etiam duas relationes eiusdem speciei, vt duas paternitates, referri relatione reali similitudinis: est enim omnino eadem ratio. Consequens autem est falsum, quia relatio non potest fundari in relatione: alioquin in qualibet relatione essent infinitæ relationes, nam sicut prima fundat secundam, ita & secunda poterit fundare tertiam: nam erit similis, vel dissimilis, seu distincta ab aliis & idem erit de tertia respectu quartæ, & sic in infinitum. Secundo sequitur inter duas quantitates bipedales esse duas relationes reales, alteram identitatis, quatenus sunt eiusdem essentia, alteram æqualitatis, quatenus sunt eiusdem magnitudinis: poteritque amitti prior manente posteriore, nam inter quantitatem bipedalem & tripedalem est similitudo essentie, quanquam non sit æqualitas. Similiter dicendum erit, calorem intensum & remissum referri vna relatione reali identitatis in essentia, & altera dissimilitudinis in intensione, & similia: quæ videntur absurda.

VII. Tercio sequitur, non tantum similitudinem specificam, sed etiam genericam, vel analogam fundare propriam relationem realem, est enim proportionalis ratio, nam licet similitudo generica non sit tanta quanta specifica: tamen est vera dissimilitudo & vnitas: ergo fundabit relationem realem, quamuis non eiusdem rationis: nec fortasse tam perfectam. Item, quia si vnitas generica non sufficiat ad hanc relationem propter varias differentias specificas, neque vnitas specifica sufficeret propter varias differentias individuales, nam eandem proportionem seruant in identitate reali & distinctione rationis, est ergo eadem ratio, ergo, sicut specifica vnitas fundat relationem rationis, ita generica. Consequens est falsum, tum quia res specie distinctæ, quamuis conueniant in genere, simpliciter sunt dissimiles,

potius quam similes vt albedo, & nigredo, tum etiam quia alias, cum rerum conuenientia & differentia possint in infinitum multiplicari per intellectus abstractiones, etiam relationes similitudinis vel dissimilitudinis infinitæ essent in vna re, vel respectu alterius, cum qua conuenit in differentia specifica, & in omnibus superioribus prædicatis, vel respectu diuersarum, quatenus vni est similis in specie, alteri in genere proximo, vel remoto. Eademque difficultas, proportionem seruata, inuenitur in relationibus, quæ dicuntur fundatæ in numero vel disconuenientia, nam vna relatio erit ad rem distinctam in specie vltima, alia ad varias res in vno vel alio genere diuersas: quæ fere in infinitum multiplicari possunt. Ad id etiam incredibile videri, quod proportionem omnes, quas Arithmetici inter numeros specularunt, sint reales, tum quia non potest assignari vnum subiectum adequatum talis relationis, cum totus numerus non habeat in re veram & realem vnitatem, tum etiam, quia illæ potius videntur cõparationes & cõsiderationes intellectus, quam reales habitudines: at vero Aristoteles æque numerat omnes illas vt species sub hoc genere contentas.

VIII. Tertia principalis difficultas est circa idem genus, quia vel huiusmodi relationes sũt aliquæ res vel modi reales additi ipsis formis absolutis, vel non. Primum dici non potest, vt superius de toto hoc prædicamento generaliter dictum est, & specialiter de hoc genere videntur satis probare duæ primæ difficultates hic propositæ, quia multiplicantur in eadem re infiniti modi, qui non solum necessarij non sunt, verum nec intelligi possunt, nec ad certam aliquam rationem reduci. Item, quia vnitas inter huiusmodi res non est aliquid aliud ab ipsis rebus, cur ergo erit ratio, vt aliquid distinctum inde resultet? Si vero non sunt modi in re distincti, non possunt esse habitudines reales, sed mera coexistentia plurium rerum absolutarum talium conditionum. Probatur, quia habitudo realis non potest rei conuenire, nisi vel sit ei intrinseca, & ex se, vel sit ei addita: in præsentia autem, quando vna albedo sit similis alteri, nõ additur ei intrinseca habitudo realis, nam si adderetur, esse ex natura rei distincta, neque enim potest intelligi additio in re sine distinctione inter id quod additur, & cui additur. Rursus neque illa habitudo est intrinseca & essentialis albedini, tum quia simpliciter potest esse sine illa, tum etiã, quia omnis habitudo intrinseca & essentialis rei absolutæ, est transcendentalis: vna autem albedo nullam habet habitudinem transcendentalem ad aliam. Ac propterea est maior ratio dubitandi in his formis absolutis, quam in his, quæ includunt transcendentalem respectum, nam in his posterioribus intelligi aliquo modo potest, vt sine additione reali idem respectus sub diuersis rationibus sit transcendentalis, & prædicamentalis, tamen in prioribus, rebus absolutis nullo modo videtur posse intelligi habitudo realis, si eis nihil intrinsecum additur, vt reuera non additur. Hoc igitur primum genus relationum videtur saltem magis continere relationes rationis, aut denominationes extrinsecas, & modos loquendi ortos ex comparationibus variis nostri intellectus inter res diuersas, quam veras & reales habitudines.

Quarta difficultas est circa secundum genus, in quo, vt à difficilioribus inchoemus, falsum plane videtur, quod Aristoteles ait, relationem causæ effectus ad effectum futurum, esse sub hoc genere, nam illa non potest esse relatio realis, tum quia terminus non est actu existens, nam quod futurum est, nondum est: imò nondum fit: alias non esset relatio causæ operaturæ, sed operantis. Tum etiam quia ratio fundandi, vel conditio necessaria, scilicet actio, nondum est: quod autem illa conditio necessaria sit, patet, quia alias nullo modo esset relatio agentis, seu acturi, sed solum potentis agere. Deinde, est etiam

VIII. Tertia difficultas circa primum genus relationum.

IX. Quarta.

difficile, quomodo relatio fundata in actione præterita, sit realis, cum quia illa actio iam non est: ergo nec potest esse fundamentum, aut ratio alicuius relationis: cum etiam, quia Petrum, verbi gratia, genuisse Paulum, est solum denominatio extrinseca ab actione præterita: quomodo ergo potest in eo fundari intrinsecus respectus realis. Maxime, quia ea denominatio æque dicitur, siue filius genitus viuât, siue non, semper enim verum est dicere, Petrum genuisse Paulum, imo si modum loquendi attendamus, eodem modo dicitur pater eius. Atque hinc rursus etiam est difficile, quod relatio agentis, etiam de præsentis sit realis in ipso agente, cum ipsa actio non sit in agente, & consequenter extrinsece denominet agens. Et confirmatur, nam Aristoteles ait in tertio genere, relationem scibilis non esse realem, eo quod res dicatur scibilis per habitudinem scientiæ ad ipsam, at vero etiam agens sic denominatur per habitudinem actionis, quæ est in passio ad ipsum principium agendi: ergo pari ratione non resultabit in ipso principio agendi aliqua relatio intrinseca ipsi agenti. Vitio de relatione agentis in potentia, ut sic etiam dubitari potest, saltem quando principium agendi non est per se institutum ad illud munus: tunc enim non habet habitudinem transcendentalem ad rem in potentia, vel effectum possibilem: ergo neque habebit prædicamentalem. Consequentia fundatur in tertia difficultate supra propoſita.

X.
Quinta.

Quinta difficultas est circa tertium genus. In quo primum dubitari potest de discrimine assignato ab Aristotele inter hoc genus & alia: sed hoc peculiarem sectionem requirit, quam infra tractabimus. Nunc propriam difficultatem habet, quomodo ratio mensuræ possit esse fundamentum relationis realis, cum ipsa ratio mensuræ realis non sit, sed rationis tantum, ut supra ostensum est, tractando de quantitate. Quod si dicas, ibi fuisse sermonem de mensurâ quantitatis, hic autem de mensurâ veritatis. Hoc potius augeat difficultatem, quia multo minus potest hæc ratio mensuræ esse realis, ut patet, quia scientia vel iudicium intellectus æque mensuratur ab objecto existente vel non existente. Item illa mensuratio non est actio aliqua, nec est aliquid rei, ut patebit discurrendo per singula prædicamenta.

Sine sufficiens dicta diuisio.

XI.
Sexta.

Sexta & vltima difficultas est, quia non videntur sub his tribus membris sufficienter comprehensæ omnes relationes, sunt enim alia, quæ non minus reales videntur, quam quæ in prædictis generibus continentur. Assumptum patet primo de relatione appetitus ad appetibile, & omnium quæ sub hoc genere continentur, ut amoris ad amabile, desiderii ad desiderabile, &c. Hæc namque relationes non fundantur in vnitatem, vel actionem, ut constat, neque etiam in rationem mensuræ, quia in amore non est veritas, quæ mensuratur per obiectum amabile. Quod si dicas, non veritatem, sed perfectionem vel honestatem amoris mensurari ex obiecto amabili: certe hoc modo intercedet relatio mensuræ inter omnem effectum & causam, vel formalem, quæ est mensura intrinseca perfectionis rei, vel efficientem exemplarem, aut finalem, quæ possunt esse mensuræ extrinsecæ. Et imperfectiores species vnius generis referuntur relatione mensurati ad supremam speciem, tanquam ad mensuram earum. Præterea relatio vnius ad nullum genus ex prædictis videtur pertinere, quia maxime ad primum (nam de aliis non videtur posse esse dubium) sed neque ad illud pertinet, quia aliud est convenientia & vnitatem, de qua ibi est sermo aliud vero vniō seu coniunctio, quæ potest esse rerum omnino distinctarum, ut est relatio vniōis, verbi gratia, humanitatis ad Verbum, & alia similes. Si-

milis fere est difficultas de relatione contactus, propinquitatis, & distantie, ac denique de relatione causæ finalis, formalis, & materialis, nam hæc omnes non habent illa fundamenta.

Defenditur diuisio ab Aristotele tradita.

Hæc sunt potissimæ difficultates, quæ circa dictam diuisionem occurrunt, quibus non obstantibus amplectenda est, & convenienter explicanda Aristotelis doctrina aut diuisio: quam omnes eius interpretes, & Scriptores, Metaphysicarum questionum sequuntur, & Theologi etiam, ut patet ex Diuo Thoma, prima parte, quæstione decima tertia, articulo septimo, & quæstione vigesima octaua, articulo primo, & secundo contra Gentes, cap. vndecimo, & duodecimo, quibus locis Caietanus & Ferrarientis, de his relationibus multa disputant, Capreolus, & Hispanensis in primo, partem distinctam decimanonam, quæstione secunda. Et tertio, partim distinctione trigesima & trigesima prima, ubi etiam Scotus & alii Theologi, & alii locis supra citatis. Fundamentum præter authoritatem Aristotelis est, quia relationes pertinentes ad singula ex his generibus sunt reales, ut patet ex communi omnium Philosophorum consensu, & ex dictis supra de entitate harum relationum. Nam si quæ sunt relationes reales; maxime similitudo aut paternitas, aut relatio scientiæ ad scibile, quæ sunt relationes ad tria genera dicta pertinent: quia si hæc relationes non sunt reales, & prædicamentales, quænam esse possent, quæ rationabiliter possint tales existimari? Hoc ergo satis est ut illa tria genera in prædicamento ad aliud constituantur, siue sint aliqua relationes rationis, quæ habeant proportionem cum his generibus, siue non. Nam si non sunt, satis constabit esse hæc genera omnino realia, si vero sunt, non pertinebunt directe ad hæc genera, ut diuidunt prædicamentum ad aliud, sed habebunt in illis analogiam quandam seu proportionem.

Quod autem hæc genera inter se distincta sint in ratione relatiua, primum videtur satis notum ex ipsis denominationibus, quas tribuunt, sunt enim valde diuerse. Deinde optime explicatur res ipsa ab Aristotele ex ipsis fundamentis, seu rationibus fundandi; nam cum vna ex potissimis causis relationis sit fundamentum eius, imo cum ab eo habeat entitatem suam; nullum potest esse maius indicium distinctionis relationum, quam distinctio fundamentorum formalium, ac proximorum, de his enim sermo esse debet. Nam fundamentum remotum vel potius subiectum non ita per se concurrat ad relationem, & ideo distinctio eius non est ita sufficiens fundamentum ad distinguendas relationes. Quod vero fundamenta illorum trium generum sint omnino distincta, etiam per se manifestum: recte ergo ex eorum distinctione distinctio illa relationum sumpta est.

Dices; potius fuisse sumendam distinctionem relationum ex terminis, nam quæ dicunt essentialem habitudinem ad aliud, ab illo sumunt specificationem, & consequenter distinctionem, ut motus a terminis potentie, & habitus ab obiectis. Respondetur primo, id esse verum de distinctione specifica & vltima: distinctionem vero genericam, seu subalternam, posse interdum aliunde sumi. Secundo responderetur in illa distinctione non esse prætermisissos terminos formales, sed vel expresse, vel saltem implicite significatos esse in illis tribus generibus. Nam cum relatio primi generis dicitur fundari in vnitatem, ibi includitur, quod terminatur etiam ad aliud, quatenus aliquo modo vnum est, nam ut infra ostendam, quod in vno relatiuo est fundamentum relationis ad aliud, est etiam ratio terminandi relationem alterius. Et simili ratione, cum in secundo genere dicitur relatio-

nem fundari in potentia, hoc ipso indicatur terminari etiam ad potentiam vel effectum, si relatio non in nuda potentia, sed ut est sub actione fundetur: sic enim relatio potentiae actus terminatur ad passivum, & est conuerso: relatio vero potentiae agentis terminatur ad suum effectum. In tertio autem genere clarius constat, relationem mensurabilis ad mensuram terminari. Non est ergo illa distinctio ita sumpta ex fundamentis, quin termini etiam includantur. Cum enim haec sint duo principia suo modo intrinseca relationum, neutrum potest excludi ab earum constitutione & distinctione; sed fundamentum est quasi materiale, terminus vero quasi formale, quia est ultimum in quod tendit relatio.

De sufficientia dictae diuisionis.

XV. Tandem, quod illa diuisio sufficiens sit, & complectens omnes relationum species, quae ad predicamentum ad aliquid pertinere possunt, omnes citati auctores docent. Rationem autem sufficientiae eius tradit Diuus Thomas quinto Metaphys. sect. 17. Quia tribus tantum modis contingit vnam rem ordinari ad aliam, scilicet, vel secundum esse, secundum quod vna res pendet inesse ab alia, & sic est tertius modus; vel secundum unitatem actuum & passivum, secundum quod vna res ab alia recipit, vel alteri confert aliquid, & sic est secundus modus, vel secundum quod quantitas vnus rei potest mensurari per aliam, & sic est primus modus. Difficilis vero est haec ratio, nam habitudo ad aliud secundum dependentiam in inesse, si generatim sumatur, magis videtur pertinere ad secundum genus, cum effectus pendeat in esse a sua causa: si vero sumatur secundum peculiarem modum dependentiae, quae est scientiae vel potentiae ab obiecto, sic tot essent distinctiones modi relatiuorum, quot sunt modi dependentiarum. Cur enim potius illa modus dependentiae constituit peculiare genus relatiuorum, quam alius? Item falsum videtur, quod quantitas ut habet rationem mensurae fundet primum modum, tum quia Aristoteles non assignat ibi rationem mensurae, sed unitatis vel numeri, quae est longe diuersa ratio; nam quando duae quantitates dicuntur aequales, non est vna mensura alterius, nec est conuerso, nec inter eas hoc attenditur, sed ratio unitatis, & idem a fortiori est de similitudine, vel identitate, & ideo, ut diximus, unitas ibi non sumitur quantitatiue, sed generalius. Tum etiam, quia ratio mensurae quantitatiue non est per se apta ad fundandam relationem realem, cum solum sit extrinseca denominatio rationis, ut supra dictum est.

XVI. Aliam rationem huius differentiae indicat eodem loco Alexand. Alenf. dicens, illam diuisionem sumptam esse ex tribus modis vniuersalibus entis, qui sunt, idem & diuersum, quoad primum: potentia vel actus, quoad secundum, & perfectum (inquit) vel imperfectum, quoad tertium, eo modo quo imperfectum a perfecto mensuratur, & diminutum a completo: & quia isti modi sufficienter variant naturam fundamentorum, id est sunt tres species relationis. Sed difficile est, quod ait, tertium membrum sumi ex modo entis secundum perfectum vel imperfectum: nam, licet sensus referatur ad sensibile secundum illud genus, non mensuratur ab illo ut imperfectum a perfecto, sed solum dicitur mensurari tanquam a termino specificante, qui interdum potest esse perfectior, interdum aequalis, interdum minus perfectus, ut videre etiam est in intellectu & intelligibili. Deinde, quamuis asserat illos tres modos sufficienter diuidere fundamenta relationum, non tamen rationem sufficientiae reddit, neque ex vi illius explanationis declarat distinctionem eorum inter se. Nam etiam potentia & actus comparantur ut perfectum & imperfectum, & potentia dici potest mensurari per actum, quatenus illi proportionatur, & commensuratur, propter quod

etiam dicuntur potentiae per actus specificari. Existimo ergo nullam aliam rationem sufficientiae Aristotelem habuisse, praeter inductionem quandam, quam intellexit, nullam inueniri relationem quae ad aliquid ex dictis capitibus reuocari non possit: quod non potest melius constare, quam respondendo difficultatibus tactis. Nam si nullam inuenimus relationem, quae non habeat aliquid ex his fundamentis, sufficiens signum nobis erit, diuisionem illam sufficientem esse.

SECTIO XI.

De primo genere relationum, in numero, vel unitate fundato.



D singulas difficultates Sectione superiori propositas, maioris claritatis gratia fere singulis sectionibus respondimus.

Ad primam igitur respondetur, aliud esse loqui de duabus relationibus duorum extremorum, quae dicuntur in unitate fundari, aliud vero de singulis earum. Vnaquaeque enim duarum relationum similitudinis, verbi gratia, fundatur in vna qualitate in quantum in se est vna unitate formali, non quidem quantum ad id quod addit unitas supra ens, nam illud est negatio, & ideo non potest fundare relationem realem, ut recte argumentum probat, sed quantum ad illam positivam rationem entis, quae substat illi negationi. At vero loquendo de ambabus relationibus duorum extremorum, illae dicuntur fundari in unitate eorum, quia ratio cur simul conseruant illae duae relationes, positis illis duobus extremis, non est solum quia singula extrema habent inter se talem unitatem, sed etiam quia illa unitas est eiusdem rationis in utroque: quod idem est ac si diceretur, ideo illa referri inter se, quia habent convenientiam realem. Et quamuis haec convenientia non sit aliqua unitas realis illorum duorum extremorum inter se, ut bene etiam in argumento sumitur loquendo de propria & formali unitate: datur tamen in re fundamentum illius unitatis, siue quoad negationem, siue quoad unitatem rationis: & illud fundamentum sufficit, ut in illis extremis tales relationes conseruantur.

Et simili modo respondendum est ad alteram partem de relationibus fundatis in multitudine, distinctione vel diuersitate. Nam licet multis propter illud argumentum probabiliter visum sit, illas relationes non esse reales sed rationis, quia non habent reale fundamentum proximum, vel formalem terminum: nihilominus loquendo cum communi sententia & consequenter, verius dicitur eandem esse rationem de his relationibus, & de illis quae fundantur in unitate. Nam sicut distinctio includit negationem, ita etiam unitas: & est conuerso, sicut negatio quam dicit unitas supponit entitatem quae potest esse fundamentum relationis, ita etiam distinctio realis est inter extrema realia, in quibus fundatur negatio ibi inclusa: in eis ergo ut realia sunt, poterit etiam fundari relatio realis. Vnde in exemplis ibi adductis, quamuis verum sit in relatione inaequalitatis alterius extremum carere parte aliqua magnitudinis alterius extremi, tamen relatio non fundatur formaliter in ea carentia, sed in hoc quod haec quantitas tanta est, illa vero tanta. Et idem est de dissimilitudine: superponitur enim duas essentias, quarum vna non est alia, non tamen fundatur proxime in illa negatione, sed in ipsismet essentis, quatenus secundum unitates formales plures essentialiter sunt. Quod declaratur exemplo, nam lucidum & tenebrosum etiam habet dissimilitudinem, quoad illam negationem, quia in vno non est forma lucis, quae est in alio, & tamen non est inter eas relatio realis dissimilitudinis, quia ex parte

I.

II.

III.